Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36538
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

illos gloriabantur. quorum mores non imitabantur;
et iustum non est ut pater filium habeat consortem
salutis. quem non habuit socium sanctitatis.
Mox ad apostolos apostolorumque successores sermo
transit propheticus; qui cum discipulorum mores
sibi conformaverint. a fame. bestiis. gladio.
pestilentia. secum pariter eripuerunt.
Hos ergo sic pronunciat dicens. Quoniam hec
dicit dominus deus. Quod si et quatuor iudicia
mea pessima. gladium et famem et bestias
malas et pestilentiam misero in ierusalem.
ut interficiam de ea hominem et pecus; tamen
relinquetur in ea salvatio educentium
filios et filias. Sed iam ad propositum rever-
tendum est. Trademini inquit hostium ma-
nibus; postquam confregero baculum panis vestri.
Qui baculus quemadmodum apud iudeos
confringendus esset; consequenter exponit dicens.
Ita ut decem mulieres in uno clybano
coquant panes et reddant eos ad pondus; et
comedetis et non saturabimini. His satis ap-
paret; quod quecumque premissa sunt. allegorice
discutienda sunt. Hoc enim ad litteram non de-
super velit; nec iudeus accipiet. Quomodo
namque in urbe obsessa clibanorum posset esse
penuria; ut non nisi in uno clibano panes coquerentur.
Neque enim hostes qui exterius obsident; et
clibanos qui intra murum sunt. destruere pos-
sunt. Quid et est quod mulieres iste que pa-
nes in obsidione parant. sic implent sum-
mam denarii; ut nec plures nec pauciores
valeant reperiri. Si enim affligendi erant
peccatores panis penuria; ut quid in cognitis
bus numerus iste conservatus est. Mysterium
ergo discutiamus; et horum omnium que dicta sunt
rationem invenire poterimus. Decem quippe mu-
lieres legis doctores intelligimus; cunc-
ta que ibi scripta sunt carnaliter intelligentes;
et virorum dictorum suis interpretationibus ener-
vantes. De his vero decem mulieribus et in re-

gum libro scriptum est. quod egressus rex da-
vid cum fugeret a facie absalon; reliquit
decem mulieres concubinas ad custodien-
dam domum. Ad quas ingressus est absalon cum
venisset ierusalem; ut scilicet fedaret patrem
suum. Rex autem david post mortem filii
cum reversus esset in domum suam; tradidit eas
in custodiam alimenta eis prebens. et non est in-
gressus ad eas; sed erant clause usque ad
diem mortis sue in viduitate viven-
tes. Manu fortis quippe noster christus dominus cum
a domo sua recessisset sicut ipse iudeis mi-
natus est dicens. ecce relinquetur vobis domus
vestra deserta; invalescente apud illos
apostata archangelo. quem speciosissimum
ipse condiderat. quem quasi filium ipse habuerat.
reliquit decem mulieres ad custodiendam
domum. phariseos scilicet qui legis quidem
profitebantur doctrinam; sed divinorum preceptorum
virtutem carnalibus suis traditionibus post-
ponebat. Qui tamen divina dispositione
populo preerant. nichil quippe intra sine di-
nutu fit; qui regnare facit et ypocritas
propter peccata populi. Iste mulieres non matrone
sed concubine sunt; quia non in libertate spiritus; sed in ser-
vitute carnis filios generant. Ad has quoque
ingressus est inimicus. quia mentes illarum sibi coniun-
xit; et regi david qui prius eas possederat con-
tumeliam irrogavit. David autem reclusit
illas in custodiam. quia iudicium sui districti-
one intra littere angustias eas coartat in-
telligentiam; et ad spaciosam mysteriorum am-
plitudinem non educit. Quibus tamen alimenta
tribuit; quia ut presentem transigant vitam tem-
porales sumptus non subtrahit. Ad has autem
nec cum domum reversurus est ingredietur. sed
vidue permanebunt usque ad diem mortis
sue. quoniam in fine cum perfido illi populo suo fi-
dei conferet gratiam; illos tamen doctores ne-
quaquam sibi coniunget. qui ad spiritale legis in-

NB. Desunt 8, aut 9. folia.